

mentia Nostra Caesareo-Regia benigne resolvimus: ut Urbs et Portus Fluminensis, nec non Bona Buccariensis, in quantum illa Carlostadio Flumen versus proficiscendo ad dexteram Viae Carolinae sita sunt: Buccari, Buccaricza et Porto Re, tanquam ad levam dictae Viae Carolinae sitis, pro Statu Militari relictis, ipsa praeterea Civitas Carlostadiensis in Liberam Regiamque Civitatem evehenda immediate Regno Croatiae reincorporentur; ex taliter porro Neoreincorporandis Partibus Novus Comitatus erigatur, Idemque in omnibus ad Normam aliorum Comitatum (iis, quae mox declarandae Directioni Guberniali in Puncto Commerciali immediate reservarentur, exceptis) Consilio Regio Croatica subordinetur, ejusque Jurisdictioni subsit. Pro eadem porro praedecarata Materna Nostra sollicitudine atque Providentia, volentes nimirum, ut Res Commercii in Districtu et Portu hoc Fluminensi, ex ipsa ordinata atque systematica Manipulatione ad Statum florentiorem evehatur, Benigne visum est Nobis Urbi et Portui huic Fluminensi Egregium Fidelem Nostrum Josephum Majláth de Székely, antehac Cameralem Consiliarium Aulicum Nostrum et Referendarium, in Qualitate Gubernatoris, et cum pari, ac Comes Zinzendorff Tergesti obtinet, activitate, Iisdemque Praerogativis praeficere, simulque Eum pro Comitatus ex Reincorporando hoc Districtu efformandi et nomine Comitatus Severinensis insigniendi Supremo Comite clementer denominare.

Cohaerenter autem ad praemissa quoad resignationem et receptionem Districtus hujus id quoque clementer jussimus, ut Commissarij ex Parte Cancellariae Bohemico-Austriacae Aulicae exmittendi, Urbem et Portum Fluminensem, omnesque hujus Littoralis Appertinentias, quemadmodum etiam reliquae ad Districtum hunc applicandae Partes per respectivarum Jurisdictionum Commissarios, in Coharentia Benignae Nostrae Resolutionis resignabuntur, Commissarijs ex parte Jurisdictionis Hungaricae, signanter autem ex Gremio Consilii Nostri Regii Croatici exmittendis, ac in specie per Nos in Personis Comitis Stephani Niczky et Nicolaj Skerlecz clementer nominatis, in praesentia ipsius etiam denominati Gubernatoris Fluminensis in termino, se inter et Gubernatorem Nostrum Fluminensem, nec non Consilium Regium Croaticum concertando, resignarent.

Ad hunc vero ipsum finem et scopum, Incrementum videlicet in Regno Hungariae et Partibus Eidem adnexis Commercii, id pariter clementer decrevimus atque resolvimus: ut Portus Fluminensis pari, qua Tergestiensis ratione et modo tractetur seu Favorem eundem obtineat, et evectio illius Sortis productorum, quibus Regnum Nostrum Hungariae abundaret, quorumve Distractio et Exportatio in Exteras Ditiones caeteris Nostris Provinciis Haereditariis nociva haud esset, porro quoque indulgeatur, atque hoc sensu Productorum Hungaricorum Mare versus, tam per Portum Tergestiensem, quam Fluminensem Evectio ultro etiam admittatur; In specie autem a Lana, Clavellatisque Cineribus, velut caeteroquin vectigali obnoxiiis Mercibus, Taxa nonnisi Trium et respective unius Floreni occasione Invectionis Flumine dependatur, nisi quis super ejusmodi jam facta Depensione per Essito Expeditionem semet Legitimare valuerit. Non absimiliter

Inhibitione Evectionis Gallarum quercinarum et Pellium Leporinarum amodo imposterum sublata, Evectio earundem per Passus Fluminensem et Tergestiensem erga Depensionem Essito Vectigalis in 12 ^{xris} a Metreta Gallarum